Katyński Laurent. Alph: Quaestio de sententia arbitrorum.



Biblioteka Jagiellońska
stdr0004970

QVÆSTIO DE SENTENTIA ARBITRORVM

Ad Cap. Sane Extra De Arbitris Iuncta L. Ima. C. Eodem.

A


M. LAVRENTIO ALPHONSO KARYNSKI
I. V. D. Decretorum Ordinario Professore Ecclesiæ Collegiatæ Omnium SS. Can.

Pro loco inter DD. Facultatis Iuridicæ ad Disputandum proposita.

Lectorio Coll: DD. Iurisp. Die 12. Septembris, Hora ante meridiana 7 Anno Domini, 1651.

CRACOVIÆ,
Apud LVCAM KVPISZ, S.R.M. Typ.

Ipſa ſibi Virtus meruiſſe ſatis.



Feci Iudicium, & Iuſtitiam: in iudicio non contempſi pauperem, non oppreſsi viduam, perſonam diuitis non recepi, in omnibus operibus miſericordiam reſeruaui.

D. Abroſ: ſuper Pſal: Beati immaculati &c.

❧ (✻) ❧

Perillustri ac Reuerendissimo Domino,

D. ALBERTO

De Lipnik

LIPNICKI

DEI & Apostolicæ Sedis Gratiâ Episc: Laodicen: Suffragan: Can: Vicario in Spiritualibus & Offic: Generali, Cracouien:

Domino & Patrono S. & P.

D*Ebitum quod à multo tempore me contraxisse sentio & agnosco, varijs interea impedimentis detentus, & afflicta valetudine retardatus, tandem in publica luce, Tibi Perillustris ac Reuerendme D. exoluo. Cui enim potius de Arbitris, quàm Tibi, qui, munus eorũ iure optimo poßides, dedicare potuerim. Quæstionem Te Arbitro & Arbitratore, Sanctißimæ memoriæ, Illustrißimus olim* Laurentius Gęmbicki *in Culmen. & Vladislauien: Episcopatibus, in causis difficillimis vsus est, etiam in Archiepiscopatu Gnesnen: Te Arbitrum & Arbitratorem, ad bellicos Confæderationis Moschouiticæ temperandos tumultus, D.* Sigismun-


 dus

dus III. *potissimum elegit, & designauit. Tuo arbitrio,* Vladislaum *Filium suum, multis in itineribus, concredidit dirigendum. Tuo arbitrio, fideiq́, Thesaurus Regni, in salis fodinis Vielicien: quidquid illis temporibus, in vsus Reipub. errogatum est, refert in acceptis.*

Sed quanquam magnum præstiteris vbiq́, per spacia virtutum currendo, operæ prætium, illud tamen est maximum, cum Te nobis, & nos ipsos Tibi, secundum Arbitrium Tuum, animis deuinctißimos reddidisti. Quid enim aliud volunt iura Sanctitatis quàm ad Arbitrium viuere, Magni Iudiciorum Arbitri? quæ Tu Perillustris ac Reuerendme. Dńe. eo conatu exerces, vt non Te, sed pro Te, ne succũbas timeamus. Molem scilicet tantam sustines curarum, vt nec Atlas cælum erigens, sine Hercule proficere poße videatur Eiusmodi autem munus, & onus Tuum est, quod ab optimo Antistite, Illustrissimo PETRO GEMBICKI, *cuius vel ipsũ nomen, petream & infractam loquitur firmitatem maximum in vrbe maximâ, Tibi impositum geris, vt sine maximis curis, & grandi prudentiâ, administrari non posit exactè. Ergo Perillustris ac Rńdme. Dńe. recipe hoc debitum benigno vultu, quod persoluo. In morâ quidem fui, persoluendium tantisper: Officia tamen mea alia vel purgabunt eam, vel intereße exoluent.*

Datum in Coll. Iurisp: in Vigilia Natiu: B. M. V. A. 1651.

Perillustri ac Reuerendissimo Dño.
Deuinctißimus.
LAVRENTIVS KARYNSKI,
I. V. D.



QVÆSTIO

Ad Cap: Sanè Extra de Arbitris Iuncta L. Ima C. Eodem.

V. Arbitri Iudicibus similes, à partibus compromittentibus potestatem iudicandi recipiant; eorumque sententia aliquo modo impediatur; ac ab ea legitimè lata, partes citra pænam in compromisso positam, appellare possint necne?

CONCLVSIO I.

CErtum est Arbitros seu compromissarios, in hoc similes esse Iudicibus, quòd Iuris seruato ordine procedere debeant.

COROLLARIA.

I.

NOn potest Arbiter sine citatione, Libello: Litis contestatione: & alijs ad ordinem iudiciorum pertinentibus procedere in causa.

II.

SI diebus feriatis in honorem Dei & SS. quibus Iudex non poteſt iudicare, procedant Arbitri; nullus erit proceſsus, niſi fortè ſecundùm quoſdam dies expiret compromiſso.

III.

QVemadmodum Iudex, non poteſt ſuam cauſam iudicare, ita & Arbitris hoc non licere aſſerimus.

IV.

COntra ſuſpectum Arbitrum datur exceptio, vt contra alium Iudicem.

V.

Atteſtationes & Confeſſiones receptæ coram Arbitris, fidem faciunt coram Iudice.

CONCLVSIO II.

ARbiter Iudicandi poteſtatem accipit, ex conſenſu partium, compromittentium in ſe.

COROLLARIA

I.

POſtquàm acceptauit Arbiter compromiſſum, non poteſt reſilire; ſecus ſi non acceptauit.

II.

II.

Vltra compromißum, non poſſe Arbitrum procedere ad cauſas alias decidendas, tenemus.

III.

LIcet compromiſſum generale ſit, non tamen ex eo poteſt condemnare Arbiter, vt vnus recipiat fundum, & rem aliam det, de qua non eſt cogitatum.

IV.

CVm partes non alio fine eligant ſibi Arbitros niſi vt reddant vnicuiq; quod ſuum eſt: non debent de vnius iure aliquid adimere, & alteri dare.

V.

ELectus à partibus Arbiter antequam acceptet, non poteſt verè dici & eſſe Arbiter.

CONCLVSIO III.

Si legitimè Sententia ab Arbitris lata fuerit, habet ſuum robur & firmitatem.

COROLLARIA.

I.

SI per Sententiam Arbitrorum legitimè factam condemnetur aliquis, poteſt petere re-

ductionem ad æquitatem per bonum virum, vel Iudicem.

II.

Licet vnus ex Arbitris proferat Sententiam, alijs tacentibus tamen robur ſuum habebit quoad omnes.

III.

Si ſit clauſula in compromiſſo, vt Arbitri ferant ſententiam, iuxta conſilium ſapientis, ſi illud non admiſerunt, ſententiam non poſſe ſubſiſtere, affirmamus.

IV.

Sententia lata in alio loco, quàm vbi factum eſt compromiſſum, valida eſſe non poteſt, niſi partes ſuper hoc conſenſerint.

V.

Si tres Arbitri diſſentientes fuerint, vnus videlicet condemnat conuictum: alter abſoluit definitiuè: tertius autem ab obſeruatione Iudicij liberat, ſtandum eſt ſententiæ tertij, ex conſenſu omnium DD.

CONCLVSIO IV.

Bart. l. Arbitro 9. ff. q. satisdare cogantur. Et in l. Nemo ff. de Legib.

A Sententia Arbitrorum regulariter non eſt concedenda appellatio.

Canon Si Clerici 11. q. 1.

CO-

Clausula rato manente pacto

COROLLARIA.

EX ſententia Arbitrorum poſtea homologata oriri actionem & exceptionem non negamus.

II.

POſſe appellari, à ſententia Arbitrorum iuris ſeu neceſſariorum, ad ſummum Pontificem, non repugnamus.

III.

SI iniqua ſit ſententia Arbitrorum, ſuccurritur grauatis per reductionem ad arbitrium boni viri, quæ ſe habet inſtar appellationis.

IV.

SI quis ab Arbitrorum ſententia appellationem interpoſuerit, dicta appellatio pro reductione impropriè ſumetur.

V.

SEntentia Arbitrorum vt efficacior eſt, quàm Arbitratorum: ita citiùs effectum ſuum ſortitur in executione.





Sub Felicibus auſpicijs.

Perilluſtris Magnifici & Admodũ Rńdi. Dńi. D.

IACOBI GORSKI

I. V. D. & Profeſſoris, eiuſdemq;

Facultatis DECANI,

Eccleſiarum Cathed: Crac: CANONICI,

Collegiatæ SS. Omnium Cuſtodis,

PROTONOTARII APOSTOLICI.

Almæ Vniuerſitatis Crac: Studij

GENERALIS RECTORIS.

Vigilantiſsimi.